



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XXII. De Covino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

mus. Et quoniam currus fuit militaris, Gallis Belgicis cum primis notus, ideo adducor in suspicionem, quod sit voce alia nominatus *cophinus*. Covinus profecto currus militaris fuit apud Belgas, ut Lucanus docet. Sed de covino peculiari capite agemus. Illud hic notabimus, quod in benna fuerit non unus tantum aliquis, qui pugnaret, sicuti in curribus apud Græcos, verum plures. Inde namque combennonum appellatio est orta. Quot autem singulis in bennis fuerint, indicare haud proclive, cum de eo, ut & cæteris vehiculi hujus nihil proditum apud veteres inveniatur.

Cap. XXII.

De Covino.

Covinus, covinnus, covina. Vossij & aliorum sententia refutata, Bocharri vero expensa. Tectus fuit pene idem cum benna. Falces habuit. Silij scriptura vetus. In cophino cathedra. Καρπίον καθεδρῶν. Philoxenus exponitur. Covini à Belgis venire ad Britannos. Mela exponitur. Covinarij. Hermannus Hugo revellitur. Ad covinos juncti equi. Covini ad iter. Non carruca, nec esseda fuere. Ducebantur & à mannullis. Vectores ipsi regebant jumenta sine auriga. Tres in eis. Argolus notatur. Vehicula dono data. Circense vehiculum covinus quo sensu. Argolus denuo notatur. Juveniles Augustales quales ludi.

COVINI vox occurrit apud Melam lib. III. c. 6. *Dimicant & bigis, & curribus Gallicè armati. Covinos vocant.* Atq; sic Lucanus, Sidonius, atq; alij. Apud Martialem scribitur *covinnus* geminata littera, verba postea adducam. Glossæ Mf. Savaronis mutant genus, & in feminino efferunt. Ita namq; scribit Savaro ad Sidonij Carm. XXIII. *Anonymus Glossograp. ms. Covina, genus vehiculi.* cæterum covini vocem sunt, qui derivandam judicant *ἀπὸ τῆς κοπίης*, alij à *cavea*. Qua de re sic Vossius in Glossario. *Non censeo, nomen esse ἀπὸ τῆς κοπίης, h. e. sectione, que fieret falcibus (quibus nempe interdum fuerunt armati) Ac nihilo rectius à cavea derivant alij, in his Franciscus à Quercu, quia in eo velut cavea consideretur, ut que & ad confessum cathedras haberet. Nempe neg, hoc de loco camerato & καθε-*

δεροσ, neq; alterum de *falcium* sectione, vel *Græcum* *juvant* ἔτρομον, vel *Latinum*: cum vocis *Celticæ* origo peti debeat è *Celtarum* lingua, qualis *Germanica*. Quæ omnia sine dubio sunt optima, summaq; ratione prolata. Verum quod is ipse postea vel ab *hauven* Germanorum quod significat *ferire*, vel potius ab *haven*, quod iisdem ait denotare, *ather*, *cælum*, putat derivandum, non æque bene iudico proferri. Ac quod prius quidem attinet, ostendit ipse, parum id hic convenire. De posteriori recte fecisset, si adduxisset testem aliquem idoneum. Hodie profecto *Haven* nihil tale denotat. Vulgo portus maris ita nominatur. Sveci & Septentrionis populi *Haf* appellant mare, non hodierni solum, sed & vetustissimi. Quare propius accedere videtur Gallicum, *couvrir*, quod *tegere* significat, & Belgarum *coffert*, quod pro cista cum operimento usurpant. Sed & apud Svecos veteres *Kopan* vestem appellarunt, qua vice pallij se operiunt; & apud Alsatos meos *Kapp* est pileus mulierum, quo se tegunt matres familiarum. Liqvet certe ex his omnibus, fuisse quondam in usu vocabulum, unde ista omnia sunt nata, quod tegmen seu operimentum significabat. Adde quod nunc quoque per Germaniam aliquibus in locis *Kobelwagen* vocitent vehicula superne tecta, item per contractionem *Kolwagen*, quod à *co-vino* est proximum. Nam quod dictum putat à *קופין*, i. e. *gossphan* Chaldæorum Samuel Bochartus, quod occurrit *Esaïæ* X, 32. ubi Sennacheribus habuisse in exercitu suo legitur quater mille *gossphanim*, h. e. sicut ipse explicat, *cophinos*, id sicut ratione primæ originis erudite dicitur, sic ad explicationem vocis Gallicæ vel Belgicæ trahi difficulter potest. Mallem potius deducere à *covo*, quod significabat priscis *cavum*, *convexum*. Inde namq; cælum quoque appellarunt *covum* sive *cohum*, ut ex Festo & Scaligero apparet, & apud Varronem inter instrumenta rustica est *covum* sic à cavo dictum, sicut ipse iudicat. Formam covini quod spectat, facit eum Vossius perpetuo contectum. Ita namq; ait in de Vitiis Serm. c. 3. *Covini semper erant camerati tectiq;.* Verum unde ipsi hoc constiterit, id haud declarat. Tamen discimus ex Lucano, quando sic de hoc vehiculo: *Et docilis rector constrati Belga covini.*

Extat.

Extat versus hic in libro I. ubi quondam legebatur *monstrati*. Quod cum videretur ineptum, sicut erat, *rostrati* pro eo substituere. Atque sic servarunt hactenus. At vero in vehiculis fuisse *rostra*, nemo legit: naves habuere. In codicibus antiquis est *constrati*, sicut docuit Cl. Isaacus Vossius, & ex eo primum testatus est Bochartus. Sunt autem *vehicula constrata*, quæ superne tecta, sicuti *constrata naves*, quæ alibi *tecta*, ut prolixè docui in libris de Militia navali. Quare tecti covini fuere. Idem constat etiam ex eorum appellatione, si id innuit, quod diximus. Quod si covinus conveniret cum *cophino* vase, tectum illud ex viminibus videri posset structum. Est enim *cophinus* *vas ex virgultis, aptum mundare stercora & terram portare*, sicut ait Isidorus. Neq; ratio denominationis repugnaret, cum & *cophinus* sit à *covus* h. e. *cavus*, ut vult Isidorus. Deniq; covinus vehiculum non per *us* solummodo, sed & per *ph*, *cophinus* scriptum reperitur. Sed magis est ut vas *cophinum* à Græco *κόφινος* & censeamus ortum. *Covinum* vero vehiculum à Gallico, seu Belgico, quod diximus. Quanquam cum hæc ratio sit observata in bannis, quas existimo fuisse covinos, eadem & covinorum fuerit. Præter id, quod contecti *constratiq;* essent covini, etiam *falees* habuere. Pomponius Melalib. III. c. 6. *Dimicant & bigis, & curribus, Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur*. Quibus verbis annotandum, quod hos falces non in orbibus habuerint, ut tradit Curtius de falcatis quadrigis, verum axibus, ut de curribus falcatis, alij pleriq; sunt testati. Firmat enim aliquo modo, quod de loco Curtij, & structura falcatorum currum jam in superioribus disserui. Falces in covinis memorat & Silius lib. XVII.

Agmina falcifero circumvenit arcta covino.

Argolus in Notis ad Onuphrium, ubi laudat versum hunc, scribit *arcta*, unde colligo, in antiquis libris *arta*, non vero *arcta* fuisse. Quanquam vero covini sic instructi fuerint nonnulli, omnes tamen non fuere, ne in bello quidem. Quod colligimus ex Tacito, qui tamen pugnam covinarianorum memoret in vita Agr. c. 35. tamen falcium in covinis, aut per eas factæ stragis nullū apud ipsum

est indicium, quod non omiffurus Tacitus pro cætera fua diligentia videtur fi quas habuiffent falces. Quin imo aperte Hieronymus ad Efaïam cap. ult. *Sine falcibus itaq; currus noster covinus est.* Sed nimirũ ibi fermo est de covino alio, quam bellico. De quali utiq; non poffumus ambigere, quin falcibus caruerit. Habebat alioqui covinus & cathedram ad confidendum, quod colligimus ex Gloffis Philoxeni, in quibus ita legitur: *Covinus, κάρριον καθεδρωτόν.* Vocat carrum cum cathedra: porro cathedra ad confidendum. Quanquam mihi *cathedra* hic videatur, quod in curribus militaribus antiquis *διφρος*, id videlicet, ubi confiftere, ac unde pugnare in hoftem solebant, *σέμα* vulgo appellatum, hoc est *fella*. Nempe carrus vulgo fuit fine *fella*, ideo *καθεδρωτόν* vocavit, quali diceret, non fuiſſe de communi genere carrorum, fed peculiari, quod impositas habuit *fellas*, id est capſos ex vimine factos & ſuperne tectos, unde ſtantes pugnabant. Rotas quot habuerit, certo non conſtat. Quia tamen *κάρριον*, id est *carrus* nominatur, quem exponunt *ἀμαξάν*, duas colligo in eo fuiſſe. Uſus covini frequentiffimus apud Belgas, quod ex verbis Lucani antea adductis conſtat. A Belgis tranſiſſe ad Britannos videtur. Colligo ex verbis Mela, quando ait, dimicaſſe iſto genere, fed *Gallice armatos*. Cur enim *Gallice*, niſi quia rationem totam mutuati ſunt à Gallis, Belgis inquam, qui ſunt pars Gallorum. Adde, quod à Cæſare, qui primus tranſiit in Britanniam, nulla fiat covinorum mentio, fed eſſedarum. Quare covinorum vox non eſt Britannica origine, fed cum vehiculo à Belgis ad eos translata. Alias non magis eſſedas, quam covinos Cæſar nominafſet. Quando igitur in Britannis memorantur covini, vel intelliguntur eſſedæ, quos covinos ſubinde nominafſe ſcriptores notiore vocabulo, ut in Belgis uſitato, veriſimile; vel covini à Belgis in Britanniam translati. Atque ſic intelligendum, quod à Mela dicitur de Britannis: *Dimicant bigis, & curribus Gallice armati. Covinos vocant.* Nempe ita vocant lingua Belgica, unde acceperunt. Inde hodieq; nullum covini veſtigium in Britannico fermone, quod Cambdenus fatetur, fed nec ratio illius dari poteſt idonea ex lingua Britannica, cũ ex Belgica Germanicaq; poſſit, uti

vidi-

vidimus. Pertinebant vero covini vel ad bellum, vel ad pacem. In bello ex eis dimicabant. Ita clare Mela: *Dimicant bigis & curribus. Covinos vocant.* Quæ dimicationis ejus fuerit ratio, non satis constat. Quia tamen falces habuerunt, vix est dubium, quin sola incurfione damnum afferre hosti quæfiverint. Sed non omnes habuere falces. Ergo in cæteris stetit, indeque tela coniecisse in adversarios existimo. Ideo se peditum prælio immiscent apud Tacitum Vita Agr. cap. 36. Qui regebant covinos, *covinarii* appellabantur, non, ut tradidit Hermannus Hugo, *covinarii equites*. Verba Hermannii sunt lib. I. de Mil. Equestri, cap. 6. *Belgas Lucanus ornat laude inventi covini lib. III. Pharsalia:*

-- -- *Rector monstrati Belga covini.*

Vnde Tacito, in Vita Agricola, covinarii equites, qui scilicet de covino pugnabant. Neutrum horum verum est, nam Lucanus scripsit non *monstrati*, sed *constrati covini*, sicut supra indicavimus. Et apud Tacitum non leguntur *covinarii equites*, sed *covinarii & equites*. Locus, quem respexit Hermannus, verum malè intuitus est, habetur cap. 35. dicti opusculi his verbis: *Media campi covinarius & eques strepitu ac discursu complebat.* Alii Tacito sunt equites, alii covinarii. Et qui possint iidem esse, cum, ut ipse ait Hermannus, covinarii pugnaverint de covino, id est, vehiculo, non eqvo? Equites verò, qui pugnant ex eqvo. Quare iterum Tacitus in sequentibus, ut de diversis: *Equitum turma fugere, covinarii peditum prælio se miscuere.* Interim hos covinarios in covinis traxerunt equi. Equos enim ad hos militares covinos adjunctos habuisse discimus ex eodem Tacito, qui dicto loco: *Sape vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incurfabant.* Non potest esse dubium, quin hic equi debeant intelligi, qui vagos illos currus, id est, covinos, trahebant. In pace verò covinos adhibuisse legimus ad iter. Extat hac de re Epigramma integrum Martialis lib. XII. ad Juvencum, quod, quia habet pluscula huc spectantia, totum adscribendum.

O jucunda:

*O jucunda covinne solitudo,
 Carruca magis, esse doque gratum
 Facundi mihi munus Heliani:
 Hic mecum licet, hic, Iuvence, quicquid
 In buccam tibi venerit, loquaris.
 Non vector Libyci niger caballi
 Succinctus, neque cursor antecedit.
 Nusquam est mulio. Mannuli tacebunt.
 O si conscius esset hic Avitus,
 Aurem non ego tertiam timerem,
 Totus quam bene sic dies abiret.*

Ex hoc epigrammate apparet utique, adhibuisse covinos ad iter, si-
 ve serium, siue, quod videtur magis velle, voluptatis causa institu-
 tum. Videmus autem ante omnia, covinum nec carrucam neque esse-
 sedam fuisse, cum ab eis distingvatur. Deinde in comparatione ad
 essedas carrucasque viliores putatum. Nam si vilior non fuisset, pa-
 rum aptè sibi carius vehiculum Martialis dixisset esse, carruca esse-
 daque. Nec enim est mirum, atque sic nec significandum, tanquam
 magnum quidpiam & singulare, si quæ meliora sunt & præstantio-
 ra, simul sint & chariora. Observamus quoque covinum hunc desti-
 natum itineribus adjunctos habuisse *mannulos*, non equos. Sunt au-
 tem mannuli de genere mulorum minorum, quorum species ac-
 cedit propius ad equos, quam ad asinos, sicut, ubi egi de baferna,
 demonstravi. Regebatur porro etiam ab unico soloque, qui & ve-
 hebatur simul, & auriga erat. Hinc enim *solitudinem* covini Mar-
 tialis prædicat, & *mulionem* ait esse *nusquam*, id est, se solum & vehi-
 eo, & mannulos ipsius regere. Erat tamen capax plurium, saltem
 trium, quando Martialis secum invitat in confessum & Juvencum,
 & Avitum. Erratque sine dubio Johannes Argolus ad Onuphrium,
 quando scribit, *saltem duos ad summum cepisse. Vulgo sessorem & au-
 rigam eundem fuisse. Qui nec ex hoc genere ad illud militare vide-
 tur rectè transire, ac statuere, ne in illo quidem fuisse, nisi unum.*
 Saltem covini sine falcibus requirebant plures, si per eos damnum
 afferendum erat hostibus. Quid enim unus faceret, qui simul
 equos

eqvos regere debebat? Discimus & hoc ex isto epigrammate, cum muneris loco datus Martiali covinus fuerit, inter munera, quæ donari solebant, etiam vehicula, nominatimq; covinos, fuisse. Qui ex eo erant grati acceptiq;e, quod nullis opus haberent mulionibus, qui iis vehebantur, soliq; ac liberè in itinere cum amicis garrere ac confabulari possent. Et hic covinorum usus maximus præcipuusq; in pace. Aliquando tamen nominant inter vehicula Circensia. Sidonius Apollinaris Carm. XXIII. ubi describit pluribus certamen quadrigarum:

*Instant verberibus simul regentes,
Iamque & pectora prona de covinno
Extensi rapiuntur.* -- --

Argolus ex hoc loco colligit, fuisse vehiculorum Circensium solenne hoc vocabulum. Sic enim ait ad lib. I. Onuphrii de Lud. Circ. pag. 16. *Nunc sufficiat ostendere, covinum dici apud veteres currum hunc (Circensem) & vehiculum, quo aurigæ insident. Hic verò commodissimus ad Circensia, sive ponderis, sive parvitatæ gratiam spectes.* Subdit deinde allata Sidonij verba. Verum alibi vocatas bigas quadrigasq; Circenses, covinos non legas. Imo ipse Sidonius quadrigas paulo ante dicit. Verba ejus ista sunt:

*Tunc cætus juvenum sed aulicorum
Elei simulacra torva carapi
Exercent, spaciantibus quadrigis.*

Item post nonnulla interjecta

*Tandem murmura buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva currus.*

Vocat currus & quadrigas, quomodo in universum omnes alij. Ergo covini sua & solenni voce minime appellabantur. Sed nec adhibiti ad circenses ludos, qui sic proprie sunt dicti, ut putabat Argolus. Alij fuere covini, alij currus Circenses. Nam quod sic appellat Sidonius, id fit abusive, per positionem generis unius, vice alterius, sicut locus universus docet, qui agit de juvenibus Augustalibus, quorum ludus agitatioq; fuit non covinis, sed quadrigis.

Asconius in Or. cont. ant. Cum Sylla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent. Item postea: Diximus jam supra Sylla ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios nobiles homines agitare. Loquitur de Ludis sacris, in quibus ingenuos & nobiles, quos *aulicos* vocavit Sidonius ait certasse. Certasse vero non covinis, sed quadrigis. Unde plane constat, ludos illos similes per omnia circensibus vulgaribus extitisse, ac iccirco nullos habuisse covinos. Cum praesertim covinorum mentio nomenque fero, ac non nisi post Caesareana tempora Romae orta fuerit, circenses vero omni tempore duraverint.

Cap. XXIII.

De Effedo.

Effedum non est covinus. Bocharti sententia expenditur. Adfeda. Belgicum est vehiculum. Phitargyrus & alij explicantur. Non est Britannicum. Iornandes exponitur. Habuit falces, sed non semper. Num idem cum basterna. Rotas habet duas strepentes. In eo equi fere, iugbini. Iornandes denuo exponitur. Aliquando tractum à mulabus aut bisontibus. Singula in eo jumenta pro se ambulabant. Pellibus erant ornata. Claudianus exponitur. Effeda ad praelia. Perequitare, de iis, qui vehuntur in curru. Rhodomanni versio Diodori rejecta. Eoseda. Alij aurigae in ipsis, alij pugnantes. Effedarij. Stabant etiam in jugis equorum, & tergis. Effeda ad itinera, in eis etiam honoratiores. Cicero expenditur. Mulieres quoque. Currus sunt celores, & pulchre ornati. An & oneraria, an & in triumphis. Scholiastes Cruquij refutatur. Effeda in circo. Gladiatores effedarij. Philargyrus explicatur. Mulier effedaria. Seneca contra Lipsium explicatur. Fragmentum Petronij Tragurianum bis exponitur. Reinesius notatur. Certare de gradu, quid. Fragmentum Petronij denuo exponitur. Sciffiores cum gesticulatione cibos dissecabant. Aurigae effedariorum ad victoriam conferebant plurimum.

Venio ad esse dum, quod vel idem cum superiori, vel non multum fuit diversum. Ut diversum tamen statuamus, facit Cicero Virgiliusque, qui mentionem effedi faciunt, covini vero nullam. Sed